

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

DIE 10 JANUARI, ANNO 1847.

CUM Sanctissimus Dnus Noster Pius divina providentia PAPA IX. pro singulari sua benignitate, ac sapientia, regionum omnium quæ S. Consilii Christiano Nomini Propagando auctoritati subsunt, adjuncta considerans, intellexerit difficile futurum esse ut catholici in iisdem commorantes indulgentiam plenariam in forma jubilæi, literis apostolicis die 20 mensis Novembris anno 1846, toti orbi catholico a se concessam lucrentur, si tribus dumtaxat hebdomadis, prout iisdem literis statutum est, jubilæi lucrandi facultas in illis regionibus perduraret, referente me subscripto S. Consilii Secretario, hæc, quæ sequuntur decernere dignatus est. Videlicet, primo ut in iis locis tempus jubilæi indulgentiæ consequendæ ad tres menses ab indulti Apostolici promulgatione incipiendos protrahatur, vel ubi necesse fuerit, illud perduret quoad Fideles copiam habuerint sacerdotis, seu Missionarii, qui eis pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta administrent. Secundo, ut in locis, in quibus templa seu sacra